

mam aram loco certo reponitur, & clauſtro munitur. Huic tantæ gratulationi Gaspar adesse non potuit, ad æterna, uti sperandum est, gaudia paucos ante menses euectus. Is Indicæ provinciæ administratione suscepta, publice privatimque multa præclare instituit, quorum hodieque usus cum uberrimo perseverat animarum fructu. dumque in domesticam pariter disciplinam & communem Ecclesiarum utilitatem intentus, affecto jam corpusculo acerbius graviusque quam ferre posset imperitat; inter concionandi ardorem & contentionem defectus repente viribus, intra pulpitem concidit. collecto dein spiritu domum regressus, acrique correptus febrî, mox inter sodalium caros amplexus animam efflavit XV. Kal. Nov. anno seculi hujusce quinquagesimo tertio. Elatus est magno civitatis luctu, quam sibi suisque universam excellenti caritate officiisque devinxerat. Sub hæc, ab Japoniis dynastis litteræ ad Prætorem allatæ. foedus & amicitiam ultro petebant: ac sive id ex animo, sive gratiæ causa, nuntios Evangelii, & sapientiæ Christianæ magistros. ea re permotus, uti æquum erat, successor Gasparis Melchior Nonnius Lusitanus, commendata vicariis citeriore provincia, cum sociis aliquot Japonem petere intendit. Ingens dudum in iis locis erat perturbatio rerum omnium. Amangutii Regem inter ac populares atrox ac periculosum exstiterat bellum, nec nisi Regis & filiorum interitu restincta seditio. In Bungi quoque Regem aliquot principum conjuratio eruperat. illi, commisso demum prælio, victi cæsi que. otii deinde nonnihil ab armis fuit. Patres ad prædicationem & consueta munia rediere. ac Deus item signis atque miraculis adjuvabat. ægroti debilesque lustrali ut plurimum aqua sanati: ex infessis diuturna possessione corporibus, Dei verbo fugata dæmonia. hæc & alia minime deerant Evangelii firmamenta: sed nondum idcirco notabilis fiebat ad rectam fidem accessio. Pauperes ferme & inferiorum ordinum homines colla salutari subdebant jugo. contumax etiam tum & fastidiosa, veruntamen manus olim data, nobilitas a Christiana humilitate ac mansuetudine egentiumque ac vulgi consortio valde abhorrebat.

LIBRI QUINTI DECIMI FINIS.



Rrrr

HI-